



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iij. Vtrum in rerum natura infinitum aliquod existat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

cum in illo extensi sint montes : ergo planè sequitur, quod illi homines possint extendi. Si autem extenduntur, certè non occupant spatium totum, quod montes occupant : ergo spatium occupant terminatum.

Secundò argumentor. Illud infinitum habet terminos extensionis versus Orientem, quod non occupat versus Orientem omne spatium possibile : sed si à Deo fieret linea infinita ab hoc puncto versus Orientem, daretur infinitum quod non occuparet omne spatium possibile versus Orientem, quod probò manifestè. Nullum est infinitum, quod non sit infinities infinitum ; unde in hac linea infinita plures sunt infinitates : sed singulæ infinitates non occupant spatium omne possibile versus Orientem, ut patet, quia singulæ partes lineæ non occupant totum spatium occupatum à linea integra : sed singulæ infinitates partes sunt huius lineæ, ut suppono : ergo singulæ infinitates non occupant totum spatium possibile, nisi velis quod totum non est maius sua parte.

Tertiò de infinito in multitudine idem ostendi potest. Tunc multitudo est terminata, quando est minor aliâ multitudine : sed vna multitudo infinita potest esse minor aliâ, ut probavi : ergo vna multitudo infinita esse potest terminata. Probatur maior. Tunc est verus terminus in aliqua multitudine, quando non licet progredi ulterius, & accipere plures unitates : sed in infinito, quod est minus alio, non licet progredi ulterius, & accipere plures unitates ; sunt enim infiniti homines vnum habentes nummum, faciat Deus vt ex illis nummis accipiant duos ; tunc infiniti homines habebunt duos nummos, & infiniti nullum habebunt nummum. Sic argumentor. Tunc non licet ulterius progredi, quando nullus hominum qui restant potest accipere nummum : sed hic media pars hominum nullos potest accipere nummos : ergo non licet ulterius progredi.

Quæcunque aduersarij obijciunt, probant tantum implicare infinitum terminatum, quod vtrò etiam concedo ; sed non probant dari posse infinitum, & tamen dari non posse infinitum terminatum, quod vnum hic volo. Tantum dici posset adhuc dari infinitum syncategorematicum, & tamen non sequitur illud esse terminatum : ergo licet dari posset infinitum categorematicum, non sequitur illud dari posse terminatum. Consequentia patet, quia in quolibet infinito categorematico continetur infinitum syncategorematicum : ergo si datur infinitum categorematicum terminatum, dabitur etiam terminatum infinitum syncategorematicum.

Resp. concedendo totum, quia fateor implicare infinitum terminatum, siue sit categorematicum, siue sit syncategorematicum. Argumenta verò alata probant, quod si daretur infinitum categorematicum, daretur infinitum terminatum, & categorematicum, & syncategorematicum : nullum autem argumentum probat quod admissio infinito syncategorematico, illud debeat esse terminatum.

SECTIO III.

Verum in rerum natura infinitum aliquod existat.

TRANSITO à proprietatibus ad existentiam, de qua suppositis iis, quæ de continuo sunt dicta, minor restabit difficultas. Primò de infinito syncategorematico : secundò de infinito categorematico : postremò de creaturis possibilibus.

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

S. I.

Verum existat in rerum natura infinitum aliquod syncategorematicum.

DEICO primò, dari omninò in rerum natura infinitum syncategorematicum, quod ab infinito categorematico non differt in numero partium ; sed vel in earum actualitate, vel in earum determinatione.

Primæ partis ratio est, quia diuisibilitas continui, numerus dierum à parte post, cogitationes angelicæ per totam æternitatem sunt finitæ in infinitum : ergo datur infinitum syncategorematicum. Continuum enim ita est diuisibile, vt nunquam deueniri possit ad vltimam diuisionem, & semper illæ quæ sunt actu, sint finitæ : dies item æternitatis à parte post erunt semper plures & plures, neque vllus inter eos erit vltimus ; hic autem est verus character infiniti syncategorematici.

Secunda verò pars, quod infinitum syncategorematicum à categorematico non differat in numero partium, probatur, quia dies in æternitate à parte post tot sunt, quot fuissent in æternitate à parte ante : sed infiniti à parte ante, fuissent infiniti categorematici ; infiniti à parte post, sunt infiniti syncategorematici : ergo infinitum syncategorematicum tot habet partes, quot categorematicum. Deinde diuisibilitas continui est infinita syncategorematicè ; si autem diuisiones omnes essent actu, essent infinitæ categorematicè : ergo infinitum syncategorematicum, & categorematicum non differunt in numero partium ; nullum enim est infinitum syncategorematicum, quod si actu existeret totum, & haberet partes determinatas, non esset categorematicum.

Obijciunt primò. Illa potentia est chimerica, quam implicat reuocari ad actum : sed infinitum syncategorematicum est infinitum in potentia, quæ non potest reuocari ad actum : ergo illud infinitum chimericum est.

Resp. cum Philosopho 3. *Physic. textu 56. & 57.* potentiam aliam esse ad actum perfectum, aliam ad actum imperfectum. Potentia ad actum perfectum est illa, quæ tota reuocari potest in actum ; v.g. possibiles sunt mille homines, quos Deus creare potest, nullo dempto. Potentia ad actum imperfectum est, quæ nunquam tota reduci potest ad actum, ita vt tota entitas vel simul existat, vel successiue tota existerit, sed semper plura & plura supersint actu ponenda. Infinitum ergo in potentia non est in potentia ad actum perfectum, idest vt actu sit totum infinitum ; sed dicitur in potentia, sicut olympias & dies ; hæc enim dicuntur esse in potentia, non vt actu sint tota simul, sed successiue. Itaque infinitum potentia, non ita est potentia, vt totum actu sit, sed quòd incessanter & continuè fiat ; semper enim quod sit, & quod fiet, erit finitum ; quod autem restabit faciendum, erit infinitum. Ex qua Philosophi doctrina respondeo ad formam argumenti, distinguendo maiorem. Illa potentia chimerica est, quæ reuocari non potest ad actum perfectum, vel imperfectum : sed infinitum potentia reuocari potest ad actum, saltem imperfectum, vt dixi, non ad actum perfectum.

Instabis primò. Si totum hoc infinitum reuocari non potest ad actum, est necesse vt sit aliquid in eo, quod ad actum reuocari nequeat : sed illud infinitum non potest totum reuocari ad actum, alioqui reuocaretur ad actum perfectum : ergo est aliquid in eo quod reuocari non potest ad actum.

Resp.

Conclusio affirmans.

Prima eius pars.

Secunda pars.

Prima obiectio.

Duplex instantia.

Resp. negando maiorem, quia licet ea, quæ sunt in infinito syncategorematico collectiue, non possint reduci ad actum, distributiue tamen nihil est, quod ad actum non possit reuocari, v.g. omnes dies futuri tota æternitate, collectiue non reducuntur ad actum, sed distributiue nullus est, qui non sit reducendus; ita tamen vt collectio tota non sit vniuersam reducenda.

Instabis secundò. Illud infinitum est reale, quatenus infinitum; non enim est duntaxat chimæricum: ergo potest poni actu quatenus infinitum. Probo antecedens. Illud infinitum est reale, quatenus infinitum, quod habet partes reales, sicut binarius ille dicitur realis vt sic, qui duas habet vnitates reales; sed hoc infinitum habet partes infinitas singulas reales: ergo est reale quatenus est infinitum.

Resp. distinguendo primum antecedens; si enim sensus sit, infinitum esse reale, quatenus infinitum, ita vt possit suas partes habere omnes actu, & simul, negatur antecedens; si sensus sit, illud infinitum posse habere partes reales semper plures, & plures in infinitum, concedo. Istud ergo infinitum habet quidem partes reales infinitas, quæ simul existere nunquam possunt, non reales, quæ simul possint existere.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò. Illud est infinitum categorematicum, de quo verum est aliquando dicere, *totum existit*: sed de infinito syncategorematico licet aliquando dicere, *totum existit*: ergo illud est categorematicum. Probat minor. De aliquo verum est dicere, *totum existit*, quod totum est ponendum actu: sed infinitum syncategorematicum totum est ponendum actu; nam totum non est aliud quam suæ partes; singuli autem dies futuri per æternitatem sunt reuera ponendi: ergo totum est ponendum.

Resp. infinitum categorematicum esse illud, de quo verum est dicere, *totum existit collectiue*, non de quo verum est dicere, *totum existit distributiue*. Totum ergo argumentum vitiosum est, quia procedit à distributiue ad collectiue, quo pacto consequentia vitiosa est.

Tertia obiectio.

Obicitur terciò. Infinitum syncategorematicum non attingit infinitatem: ergo non est infinitum. Probat antecedens, quia in creaturis, quas facere Deus potest perfectiores, & perfectiores in infinitum, nulla datur infinita: ergo infinitum syncategorematicum non attingit infinitatem.

Resp. distinguendo illud antecedens. Infinitum syncategorematicum non attingit infinitatem; si enim sensus sit, non habere partes actu infinitas, concedo; si verò sensus sit, non habere partes, quæ sunt actu finitæ, & alias potentia quæ sunt infinitæ, nego antecedens. Ad probationem concedo, quod in creaturis, quas Deus videt perfectiores in infinitum, non videt vllam infinitè perfectam; sed nego hinc sequi, quod infinitum syncategorematicum non attingat infinitatem eo modo, quo exposui; quod scilicet finitas habeat partes actu, potentia verò infinitas; quia si esset aliqua creatura ex illis infinita; iam illa excessu infinito superaret antecedentes, atque ita infinitum syncategorematicum haberet actu partes infinitas.

§. II.

Virum detur in rerum natura infinitum aliquod categorematicum.

Affertio negatiua.

Deo secundò, nec dari actu, neque naturaliter posse dari vllum infinitum categorematicum.

A Multis rationibus id demonstrat Philosophus de infinito in magnitudine, *textu 42.*

Prima est, quia vel illud corpus esset simplex, vel mixtum; non simplex, quia elementum si esset infinitum, conuerteret in se alia omnia corpora; neque potest esse mixtum, quia illud constaret ex aliquo elemento infinito, quod conuerteret in se alia omnia.

Prima ratio Aristotelis.

Secunda est: Vel illud corpus esset homogeneum, constans ex partibus eiusdem rationis cum toto, vel esset heterogeneum: neutrum dici potest; si enim esset homogeneum, sumatur aliqua eius pars, quæ abscindatur à toto; illa nec esset mobilis, nec immobilis. Probo non esse mobilem; si enim moueretur, deberet moueri ad locum totius: sed locus totius, cum infinitum sit, & occupet omnia, & sursum, & deorsum, & vndeque, illa igitur particula non mouebitur magis ad locum sursum, quam ad locum deorsum: non ergo mouebitur, cum non habeat vllam determinationem. Quod verò nec sit immobilis, patet, quia locus ipsius est totum spatium totius; cum igitur non sit occupatum, non magis quiescet hic quam illic: non ergo immobilis erit; si enim esset immobilis, alicubi quiesceret: at non est maior ratio cur hic magis quiescat, quam illic: non igitur erit immobilis. Probo deinde illud corpus non esse heterogeneum; si enim constaret ex partibus diuersæ rationis, vel illa essent finitæ, vel infinitæ: neutrum esse potest; si enim sunt finitæ species, vna ex illis est infinita, quæ sic conuerteret in se alias; si autem sint infinitæ, loca, & elementa deberent esse infinita, quod absurdum est, vt probatur in libris de celo.

Secunda ratio Philosophi.

Tertia Philosophi ratio est, quia vel illa extensio contineretur intra cælum, & sic esset finita, cum locum occupet finitum; vel esset supra cælum, supra quod certum est, nihil esse; vel esset ipsum cælum, & sic illud non posset moueri circulariter, ita vt absolueret finito tempore suum circulum; sic enim vna linea conficeret spatium infinitum, quia conficeret totum spatium, quod occupatur ab ipso cælo.

Tertia ratio Philosophi.

Alia quoque rationes afferri possent ad probandum, quod non datur infinitum vllum in numero, vel in intensione qualitatum; sed ex sequentibus constabit quod ne diuinitus quidem existere possunt huiusmodi infinita.

Obicitur primò. Corpus luminosum effundens successiue lumen circa corpus opacum, producit lumen infinitum; producit enim in primo instanti aliquid determinatum luminis, & eodem modo in sequentibus: sed illa sunt infinita: ergo producit lumen infinitum.

Prima obiectio.

Resp. verum esse, quod in primo instanti producit aliqua pars determinata luminis in illuminatione successiua; sed in reliquis instantibus nihil producit diuisibile, quia nihil producitur postea nisi per motum, qui motus non est in instanti. Sed de hoc iterum dicam *tractatu 3.*

Obicitur secundò. Deus vt est agens naturale, habet potentiam infinitam, quam mediis causis secundis potest reducere ad actum: ergo potest naturæ viribus dari aliquod infinitum.

Secunda obiectio.

Resp. possibilitatem infiniti non bene probari ex infinitate diuinæ potentie; nam ad hoc vt Deus potentiam dicatur habere infinitam, sufficit vt plura semper & plura in infinitum possit producere; non est autem necesse vt producere possit infinitum.

§. III.

S. III.

An, & quomodo creaturae possibiles sint infinitae.

Res actu existentes ostendi esse finitas simpliciter, nunc difficultas maior est de illis, quae sunt in statu possibili, quas Deus omnes cognoscit, utrum videlicet illae sint infinitae primò consideratae in se ipsis, secundò prout sunt obiectivè in mente Dei omnes actu cognita.

Affectio bi-
membris.

Dico tertio, creaturas possibiles esse quodammodo infinitas, non actu quidem, & categorematice, sed secundum quid tantum, & syncategorematice; siue considerentur secundum se in esse reali, siue considerentur prout sunt obiectivè cognita à Deo.

Creaturae
possibiles
sunt aliquo
modo infi-
nitae.

Prima pars ponit infinitatem aliquam in creaturis possibilibus, ita ut possibilia sint infinita genera, & sub quolibet genere infinitae species, sub qualibet specie infinita individua, & cuiuslibet individui replicationes infinitae. Sic enim Catholici omnes constantiter docent contra Petrum Abailardum, & Viclefsum, & Ioannem Hus, damnatos in Concilio Constantensi, quod negarent potuisse produci à Deo alias species, & alia individua, quam quae de facto producta sunt. Scotus autem, Henricus & Aureolus noluerunt posse produci à Deo species nisi finitas tantum, quod merito reiecit.

Duplex pro-
batio.

Primò, quia dato quocunque numero finito individuum sub aliqua specie, & specierum sub aliquo genere, nulla sequitur contradictio si producat adhuc aliquid aliud, v. g. si dentur homines mille, nulla repugnantia est, ut sit adhuc unus homo; idem dico de speciebus: ergo infinita est multitudo rerum possibilium.

Secundò qualibet essentia infinitis gradibus distat à Dei perfectione: ergo restant infiniti gradus infinitis etiam modis participabiles à creaturis: ergo creaturae possibiles infinitae sunt.

Dices. Tota etiam collectio creaturarum possibilium distat infinitè à Deo, & tamen non potest dari aliquid possibile ultra collectionem omnium possibilium: ergo etiam si qualibet essentia infinitè distat à Deo; non propterea sequitur creaturas possibiles esse semper plures, & plures.

Respondet verum esse, quod tota collectio creaturarum possibilium infinitè distat à Dei perfectione, & tamen ultra illam Deus non est participabilis, quia non restant in Deo ulli gradus perfectionis participabiles. Cum ergo dicis: *Tota collectio creaturarum infinitè à Deo distat*; vel sensus est, Deum infinitè perfectiorem esse quam sit collectio tota creaturarum, & hoc verum est; vel significat quod illa collectio non participet Deum omni modo, quo est participabilis, & hoc falsum est. Disparitas igitur est, quia creatura qualibet, cum sit limitata, ita infinitè distat à Deo, ut non participet Deum, quantum est participabilis; tota verò collectio possibilium ita distat à perfectione Dei omnino infinitè, ut tamen participet Deum quantum est participabilis, quia est participabilis semper magis ac magis. Sed de hoc iterum dicam *scilicet ultima*. Denique infinitas potentiae, atque adeo essentiae divinae, non potest cognosci, & probari à nobis, nisi ex infinitate possibilium.

Non sunt
infinitae
actu.

Secunda pars negat, creaturas possibiles esse infinitas actu, non solum prout in se ipsis sunt possibiles, sed etiam, quod est difficilius, prout omnes simul actu cogitationi divinae obverfantur. Ratio est,

A quia illud est infinitum dumtaxat secundum quid, quod partes habet plures & plures, quae non possunt existere omnes simul, neque conficere aliquem numerum totum simul completum. Creaturae possibiles, v. g. cogitationes Angelicae futurae per aeternitatem, siue considerentur prout sunt obiectivè in mente Dei, siue prout sunt in se ipsis, non possunt facere numerum totum simul completum: ergo illae sunt infinitae tantum secundum quid. Minor probatur primò de illis creaturis, prout in se ipsis sunt futurae, vel possibiles; nam illae sunt semper plures & plures, neque omnes simul unquam erunt, nec esse poterunt, ut constabit ex statim dicendis: ergo illae non conficient unquam numerum simul completum.

B Secundò, quod etiam prout sunt obiectivè actu in mente Dei, hoc est prout cognoscuntur à Deo, sint infinitae solum secundum quid, probatur, quia res non aliter sunt in mente Dei obiectivè, quam sint in se ipsis, si Deus cognoscat res ut sunt: certum autem est, quod Deus cognoscit res ut sunt: ergo creaturae possibiles non aliter sunt in mente Dei, quam in se ipsis; sed illae in se ipsis non sunt infinitae simpliciter, sed tantum secundum quid: ergo creaturae possibiles prout sunt in mente Dei, non sunt infinitae nisi secundum quid. Et hoc magis constabit ex solutione argumentorum, quae sunt difficilia.

Etiā prout
à Deo cog-
noscuntur.

C Obiicitur primò contra primam partem conclusionis. Si data qualibet specie, posset dari alia perfectior, ita ut species possibiles essent infinitae, quae singulae se superarent uno gradu, sequeretur aliquam ex illis speciebus finitis esse infinitam, illam nimirum, quae infinitè distat à prima. Præterea si dato quolibet numero finito, possibilis esset maior, sequeretur quod inter numeros finitos aliquis esset infinitus; & similiter si quantitas finita potest semper fieri maior, sequitur quod inter quantitates finitas possibiles aliqua datur infinita. Secundò, si inter equum & hominem v. g. possibiles sunt infinitae species inter se inaequales, quarum singulae sunt imperfectiores homine, perfectiores equo, sequitur hominem esse infinitè perfectiorem equo. Probatur. Homo superat perfectionem infinitarum specierum inter se inaequalium, & perfectiorum equo: ergo infinitè distat ab equo, quemadmodum si inter duas quantitates darentur infinitae quantitates minores quam ultima, & maiores quam prima, sine dubio quantitas illa ultima esset infinita. Idem etiam valet pro numeris. Denique si dantur infinitae species possibiles inaequales inter se, imperfectiores homine, sequitur hominem esse infinitè perfectum; continet enim perfectionem infinitarum specierum, & infinitè distat à nihilo, cum inter hominem ad nihilum infinitae species interiaccent.

Triplex dif-
ficultas con-
tra primam
partem af-
fectionis.

D Ad primum respondeo, esse possibiles infinitas species finitas, quarum una semper superet aliam uno gradu, vel pluribus; & tamen nego ullam ex illis esse infinitam: esse possibiles infinitos numeros diversos maiores & maiores, quorum tamen nullus sit infinitus; quia scilicet inter illas species nulla est quae infinitè distat à prima, id est, quae habeat infinitos gradus perfectionum; sed qualibet habet finitas ante se, infinitas verò post se, ita ut nullam videat Deus ex illis, quae habeat ante se infinitas imperfectiores, quas superet determinato numero graduum perfectionis. Quod idem dico de numeris finitis in infinitum, ut satis patere potest ex dictis contra solemne argumentum de lineis in infinitum protensis, quae nullibi distarent infinitè.

Solutio pri-
ma.

Neque dicas: Implicat ut sint mille lineæ, quin una sit millesima: ergo implicat ut sint infinitæ lineæ, quin una sit infinitesima. Est enim manifesta disparitas; nam ubi sunt mille lineæ, ibi una est linea, quæ sequatur lineas mille, unâ demptâ; ubi autem sunt infinitæ lineæ, nulla est ante quam sint infinitæ, ut dixi.

Solutio secundæ.

Ad secundum respondeo, posse unam speciem duobus modis esse perfectiorem alterâ. Primò in numero graduum essentialium, si nimirum plures habeat gradus determinatæ perfectionis quàm altera; quemadmodum homo est perfectior bruto, quia unum habet gradum perfectionis, nempe rationalitatem, quam non habet brutum. Secundò in ordine nobilitatis, si nimirum una essentia plures quidem non habeat gradus determinatæ perfectionis quàm altera, sed habeat tamen omninò duos, & nobiliores. V. g. duæ arbores diuersæ speciei sunt inæquales, non quòd una plures habeat gradus determinatæ perfectionis quàm altera; sed quòd habeat gradus diuersos & nobiliores. Arbores v. g. diuersæ speciei sunt inæquales, non quòd una plures habeat gradus perfectionis essentialis quàm altera, sed quia una gradum habet essentialiter nobiliorem gradu, quem habet altera.

Certum igitur est, quod inter hominem & equum non sunt possibiles infinitæ species inter se inæquales in numero graduum essentialium determinatæ perfectionis, quod accideret si equus haberet v. g. unum gradum determinatæ perfectionis, altera species duos, altera tres, altera quatuor, & sic deinceps: sic enim sequeretur hominem, qui eo modo superaret omnes istas species, esse infinitè perfectiorem equo. Sunt ergo inter hominem & equum possibiles infinitæ species inter se inæquales in ordine dignitatis, non autem in determinato numero graduum perfectionis; ex quo non sequitur, hominem esse infinitè perfectiorem equo, nec ab eo infinitè distare, quia non sequitur quod habeat infinitos gradus determinatæ perfectionis.

Ex quo ad argumentum distinguo maiorem; si inter hominem & equum sunt possibiles species infinitæ inter se inæquales in numero graduum determinatæ perfectionis, sequitur hominem esse infinitè perfectiorem equo, & ab eo infinitè distare, concedo; si autem sint inæquales in ordine dignitatis, nego. Ad probationem distinguitur antecedens eodem modo; homo superat perfectionem infinitarum specierum inter se inæqualium in numero graduum determinatæ perfectionis, nego; in ordine dignitatis, concedo; sed nego hinc sequi quod homo infinitè distet ab equo, cum ab eo distet tantum vno gradu perfectionis, quo fieri possunt infiniti alij minùs perfecti. Et inde patet disparitas inter istas species & quantitatem ac numeros, quorum unus excederet alium in aliqua determinata perfectione.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam nego hominem infinitè distare à nihilo, quamvis sint possibiles infinitæ species inæquales imperfectiores homine, quia illæ species non sunt inter se inæquales in numero graduum, sed tantum in ordine nobilitatis.

Triplex difficultas contra secundam partem assertionis.

Obicitur secundò contra secundam partem conclusionis, Cogitationes Angelorum futura per aternitatem, nunc omnes simul actu sunt futura: ergo nunc actu sunt infinitæ secundum esse futurum, quod actu habent. Deinde creaturae possibiles, & futura tota aternitate nunc sunt actu omnes obiectiue in mente Dei, & sunt infinitæ: ergo creaturae prout existentes in mente Dei non sunt infinitæ potentia, sed actu sunt infinitæ. Denique

illud est infinitum categorematicum, cuius omnes partes sunt determinatæ quantitatis & perfectionis, omnes existunt simul, & inter eas nulla est vltima: creaturae possibiles, prout cognoscuntur à Deo actu, sunt singulæ determinatæ, omnes existunt simul obiectiue, neque vlla inter eas est vltima: ergo creaturae possibiles prout existentes obiectiue in mente Dei, sunt infinitæ simpliciter.

Ad primum respondeo esse futurum, & esse possibile, non esse aliquid præsens, quod conueniat rei futurae, vel possibili. Vnde distinguitur antecedens. Cogitationes Angelorum futurae per aternitatem nunc sunt simul actu futurae, ita ut futurum sit aliquid actu præsens pro isto tempore, nego; ita ut non sit aliquid actu præsens pro isto tempore, concedo. Vnde sequitur illas creaturas in se ipsis non esse nunc infinitas, cum nunc non sint actu.

Ad secundum respondeo, creaturas possibiles esse nunc actu in mente Dei, ita ut actualitas se teneat ex parte diuinæ cognitionis, non autem ex parte rerum; Deus enim omnia cognoscit, ut sunt. Cum ergo istæ creaturae sint plures & plures possibiles, Deus ita illas cognoscit. Vnde ad argumentum distinguitur antecedens. Creaturae per totam aternitatem futurae, & creaturae possibiles, sunt omnes actu in mente Dei, ita ut actualitas se teneat ex parte creaturarum, nego; ita ut actualitas tota se teneat ex parte diuinæ cognitionis, concedo. Nego autem consequentiam: ergo creaturae prout existentes in mente non sunt infinitæ potentia, quia non habent actualitatem, quæ se teneat ex parte ipsarum. Imò (ut argumentabar nuper) creaturae cognoscuntur à Deo eo modo, quo sunt; dixi autem illas non esse in se ipsis infinitas, nisi potentia. Imò cum non existant nisi secundum quid, non sunt etiam infinitæ nisi secundum quid. Vnde

Ad tertium similis responsio est; distinguo enim maiorem. Illud est infinitum categorematicum, cuius omnes partes sunt determinatæ quantitatis, omnes actu sunt præsentis actualitate propria, & intrinseca, concedo; actualitate solum extrinseca, nego. Creaturas possibiles dixi cognosci actu à Deo, & esse omnes actu actualitate solum extrinseca, non actualitate intrinseca.

SECTIO IV.

Utrum etiam diuinitus sit possibile infinitum categorematicum.

Utrum ergo nullum in rerum natura existat infinitum categorematicum, neque ab ullo agente naturali produci possit, præcipue dubitatur, utrum ab infinita Dei potentia fieri possit aliquod infinitum; an scilicet tantus sit Deus, ut ne interminata quidem illa virtus minimam partem attingere possit tantæ infinitatis. Primò ergo quaeritur, utrum infinitum, aliquod in magnitudine, multitudine, intensione produci à Deo possit. Secundò, an & quomodo Deus producere possit omne possibile, & creaturam omnium maximam.

Dico primò, videri mihi probabilius, quod infinitum categorematicum in rebus creatis sic implicet, ut ne à Deo quidem ipso produci possit, vel in magnitudine, vel in multitudine, vel in intensione. Ita docent S. Thomas 1. p. q. 7. art. 3. & 4. & omnes Thomistæ, Scotus in 2. dist. 1. q. 3. & in 3. dist. 13. q. 4. & Scotistæ omnes: alios omitto. Contrarium censent cum Ochamo Nominales ferè omnes, & eos sequuntur Valsques 1. p. dist. 26. Fasolus, Hurtadus, Arriaga. Ut probetur assertio, primùm examinanda